



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn


**Sapientissima Dei Mvndvm Regentis Gvbernatio; Ex qua  
pendent, quæ vulgò in Casv, Fortvna, Fato, Esse Pvtantvr**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1645**

§ 1. Nullum fortunæ aut fati auxilium adiungi posse Deo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52314](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52314)



SAPIENTISSIMA  
 DEI MVNDVM REGENTIS  
 GVBERNATIO,  
 EX QVA PENDENT  
 QVÆ VVLGO IN CASV AT-  
 QVE FORTVNA, AVT FATO  
 esse putantur.

C A P V T I.

*Quid non sit, aut quid sit FORTVNA,  
 CASVS, FATVM? & in his omni-  
 bus, Deum dominari.*

§. I.

*Nullum Fortune aut Fati auxilium ad-  
 iungi posse Deo.*



Ræcipuus ferè error est mortali-  
 um, vt credant, *Fortunam*, aut  
*Fatum*, in casibus humanis, do-  
 minari: quorum vno Prouiden-  
 tiam è medio tollunt, altero necessitatem  
 ipsi Deo imponunt; & vtroque efficiunt, vt  
 Deus non esse Deus videatur. Si enim Deo  
 necesse est Deam adiungere, quæ *Fortuna* vo-  
 cetur, atque hunc Mundum regat; confici-

A tur,

tur, Deum non sufficere, ad hunc Mundum gubernandū. At qualis ille esset Deus? quā parum omnipotens? quāque inops, si *Fortunæ* ope auxiliōque indigeret? Quod etiam consequens est, si vlla *Fati* necessitate vrgeatur. Siquidem nulla est omnipotentia, vbi necessitas manum iniicit aliquid facere cupienti. Quin neque illi ipsi recte sunt ratiocinati, qui cū omnia assererent fortuito contingere, *Fortunam* esse Deam crediderunt. Si enim Dea illa aliquid fieri voluit, ergo id, non *fortuito casu*, sed Deæ consilio ac voluntate euēnit; aut si fortuito euēnit, ergo id Dea nulla voluit euēnire. Qua de causa Epicurus, teste Nicephoro, *nullos Deos asseruit, omniāq; fortuito, & sua sponte existere sensit, & Mundum, nulla prouidentia regi, aperte docuit.* Quid necesse est prouidere, si omnia quadam *Fati* necessitate fiunt? quid consulto opus est, si omnia fortuito contingunt?

Nicephor. lib. 10. hist. Eccles. cap. 26.

## §. II.

*Ethnicorum Fortunam Deam credentium fabulosa opinio.*

Et tamen fuere, qui ita stultescerent? Apud Poetas, *Fortuna gubernans, ceca, fatalis, omnipotens* vocatur. Poetas secuti sunt

Lucret. l. 5. Cic.

orato-